

«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (47)

4.13.4. De problemate Tragoessiano crescente deque Ottilianis difficultatibus internis (2)

Dissensione inter P.rem Notkerum Mannhart atque P.rem Aloisium Seibert de pecuniā in computo argentariae Monacensis asservatā ad tempus compositā tamen ipsum problema Tragoessianum longe aberat, ut solutum esset. Septimanis mensibusque sequentibus multa suscipiebantur, quae interdum progressus totius rei esse videbantur et quae ab nonnullis etiam sic percipiebantur, quae tamen revera non erant progressūs.

Primo praeparationes ad processum iuridicum contra Rudolfum von Leuzendorf instituendum porro continuebantur, insimul ab Ottilianis nihilominus conamina facta sunt, quibus consultationes ad contractum retractandum meliorandumque susciperentur. Itaque lineae illorum duorum modorum progrediendi inter se conexae erant. Praeterea varia incepta, quibus emptores sive pecuniae collocatores invenire voluerunt, effectum exseruerunt in singulos modos progrediendi. Sed his conaminibus tota res facilior non est reddita, e contrario.

Cum autem processus iuridicus praepararetur, iurisconsultus Dr Vilas, qui pro «Culturali Societate» operabatur, accusationis libellum exaraverat, cuius punctum maximi momenti in eo erat, quod «Culturalis Societas» emptionis contractum, quem eadem cum Rudolfo von Leuzendorf in initio inierat, existimabatur esse irritum.¹ Causa huius perceptionis erat in «laesione enor

1 Cfr epistula Notkeri Mannhart die 5 m. Iun. a. 1928 ad Aloisium Seibert directa (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 6 m. Sept. a. 1928 ad Iosephum Dimitz missa (ASO, A.4.2); epistula Iosephi Dimitz die 6 m. Sept. ad Notkerum Mannhart data (ASO, A.4.2). - P. Notkerus commentarium libelli accusationis etiam iurisconsulto Leobinensi D.ri Bernhart monstraverat, ut aliam quōque opinionem peritam sibi acquireret neque ipsi soli haec res diiudicanda esset. Dr Bernhart sub fundamento causae cognitae statum Ottilianorum in aliquo processu esse opportunum existimavit. Forma autem libelli accusationis ei non ita placuit, cum eadem - verisimiliter ex causis strategematum - nimis multa tantummodo asseverarentur atque adumbrarentur, id quod iudices atque homines rerum periti generaliter non probarent. Dr Bernhart apud magistratū competentes etiam contractum emptionis inspexerat et «*ipsum horrore vere affectum fuisse*» dixit (epistula

mi»,² quae dicitur et cuius victimae factae essent Ottiliani in praedio silvestri emendo,³ id est quā manifesta discrepantia inter praestationes, quae in valore rei emptae invicem exhibitae erant, monstrabatur. Revera Ottiliani silvestre praedium Tragoessianum secundum contractum pretio ciciter 6.300.000 scellinorum emerant, cum secundum primum testimonium, quod consiliarius saltuarius Iosephus Dimitz exhibuerat, eius valor tantummodo in 2.228.000 scellinorum constitit.⁴ Tamen exspectari non potuit baronem Leuzendorf talem praeparationem accusationis iuridicae sine contradictione accepturum esse. Itaque baronis iurisconsultus Dr Evaldus [*Ewald*] Schimm iam mense Iulio a. 1928ⁱ emptionis summam reliquam 4.000.000 scellinorum, quae a «Culturali Societate» nondum soluta erat, per modum actionis iuridicae acquirere conatus est.⁵

Praeterea baro Rudolfus von Leuzendorf ad comitissam quandam nomine Gleisspach, amicam familiae Leuzendorfianae, se convertit, ut hōc conexū opprobrium divulgaretur, quā «Culturalis Societas» a «machinatoribus malignis» dirigeretur sive monasterium obligationibus se subtrahere vellet.⁶ Haec

Notkeri Mannhart die 5 m. Iun. a. 1928 ad Aloisium Seibert directa (ASO, A.4.2)).

- 2 «Laesio enormis» est terminus iuridicus et pertinet ad ius emptionis. Eadem iam in iure Romano invenitur et extraordinariam discrepantiam inter valorem rei emptae atque pretium solutum describit.
- 3 Dr Bernhart postea denuo indicavit in libello accusationis «laesioni enormi» pondus speciale attribuendum esse. - *Cfr* epistula Notkeri Mannhart die 14 m. Nov. a. 1928 ad Aloisium Seibert missa (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 14 m. Nov. a. 1928 ad Iosehum Dimitz data (ASO, A.4.2).
- 4 *Cfr* cap. 4.13.2.
- 5 *Cfr* epistula Aloisii Seibert die 26 m. Iul. a. 1928 ad Notkerum Mannhart directa (ASO, A.4.2); epistula Iosephi Dimitz die 7 m. Sept. a. 1928 ad Notkerum Mannhart data (ASO, A.4.2). - Iurisconsultus Dr Schimm videtur modo satis rudi hac actione instante «Culturali Societati» minas proferre conatus esse indicatiis fultus, pro quibus testimonia non habuit. Mense Octobri a. 1928ⁱ ex parte Leuzendorffii conamen incohatum est, quo a Monacensi iurisconsulto Schwarz, qui pro ipso operabatur, processus iuridicus etiam in Germaniā institueretur. Quomodo hōc facere voluerit, non apparet, sed scopus erat in eo, ut Archiabbatia Ottiliensis ut emptrix vera demonstraretur atque hunc in modum Archiabbatia ad pecuniam solvendam cogeretur.
- 6 *Cfr* epistula Aloisii Seibert die 13 m. Sept. a. 1928 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2).

querela hunc in modum etiam ad P.rem Constantinum von Hohenlohe pervēnit,⁷ qui epistulariter Archiabbatem adiit, ut explicationes acciperet. Scitū digna itaque est relatio P.ris Aloisii Seibert, quā Archiabbate iubente P.ri Constantino respondit et quā eidem originem atque causam problematis Tragoesiani exposuit.⁸ Notatū digna hōc in conexū imprimis sunt deliberationes, quae

-
- 7 P. Constantinus (Philippus) von Hohenlohe-Schillingsfürst (1864-1942), postquam studiis iuridicis superatis nonnullos annos munere statali functus est, anno 1896° Benedictinum monasterium Seccoviense, quod ad Congregationem Beuronensem pertinebat, intraverat. Anno 1898° sacerdotio auctus est. Inde ab anno 1907° usque ad annum 1915^{um} in Romano collegio Benedictino Sancti Anselmi munere professoris iuris Romani atque philosophiae iuris functus est; inter annos 1918^{um} et 1934^{um} idem erat professor iuris ecclesiasticae in academicā facultate theologicā studiorum universitatis Vindobonensis. - Cfr s.v. Hohenlohe-Schillingsfürst, P. Konstantin. In: Österr. Biogr. Lexikon 1815-1950. Bd. 2. Wien 1959, pp. 384 sq.
- 8 Cfr epistula Aloisii Seibert die 26 m. Aug. a. 1928 ad Constantinum von Hohenlohe directa (ASO, A.4.2). - P. Aloisius hic primo rettulit, quomodo illa emptio facta esset et quomodo satis celeriter apparuisset «Culturalem Societatem» circumscriptam fuisse. Homines, quibus rem inspicere licuisset, postea dixisse «*hanc emptionem fuisse insaniam*». Conamina usque tunc facta consultationes reconciliationis cum barone instituendi tamen in irritum cecidisse, imprimis propter habitum eius iurisconsulti D.ris Hoffër. Quamquam explicatio P.ris Aloisii realitati convenit, nihilominus sententia vere mira invenitur, cum scribat comitissam Gleisspach de condicionibus ab ipso descriptis nullam veram notitiam habere, «*cum ipse baro Leuzendorf confidentia paene caeca in praefectum suum saltuarium Etzelt de veris condicionibus praedii nullam perceptionem rectam habeat.*» (Textus originaliter Theodiscus). - His verbis P. Aloisius Rudolfum von Leuzendorf a responsalitate illius negotii dubii liberavit. Itaque interrogandum est, utrum ipse ea crediderit, quae hic protulerat, (id quod inopportunist fuisset), an talia solum eā de causā dixerit, ne P.rem Constantinum ex nobilitate exoriundum in Ottilianos incitaret. Quamquam P. Notkerus hōc scriptum satis bonum atque conveniens esse putavit, nonnullas adnotationes criticas ad puncta quaedam illius epistulae ad Constantinum von Hohenlohe directae portulit. Agebatur ei praesertim de indiciis nummariis P.ris Aloisii, de sententia, qua praedium «*dimidio plus constitisse*» (cum P. Notkerus existimaret pretium multo magis exaggeratum fuisse), et de proposito, quo baroni quaedam summa pecuniā solutā solveretur. Responso autem P.ris Aloisii denuo animus aliquatenus irritatus apparet, qui inter ipsos vigit, cum idem questus est P.rem Notkerum «*sono magistri*» ad ipsum scripsisse. - Cfr epistula Notkeri Mannhart die 15 m. Sept. a. 1928 ad Aloisium Seibert directa (ASO, A.4.2), epistula Aloisii Seibert die 20 m. Sept. a. 1928 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2).

ad possibilitates spectant, quomodo processus iuridicus evenire possit. Nam P. Aloisius explicuit Rudolfum von Leuzendorf, si processum iuridicum perderet, oeconomice interiturum esse, cum pecunia duarum milionum scellinorum in initio accepta ei reddenda esset, praeterea sumptūs litis ei solvendi essent. Haec omnia tamen valorem praedii exsuperare. Si autem baro in processū iuridico vinceret, rem nihilominus ei non omnino melius cessuram esse. Nam «Culturalem Societatem» condicionibus in praesenti valentibus ne usuras quidem erogare posse, ita ut inde eius calamitas oeconomica atque publica licitatio⁹ praedii sequerentur. Cum autem impensae nondum solutae, quae praedio impositae essent, 1.500.000 scellinorum constarent, primo illam summam pecuniariam solvendam esse, antequam creditores hypothecarum pecuniam suam postulare possent. Decoctione vero «Culturalis Societatis» atque publicā licitatione praedii itaque emptori cuidam primo illas 1,5 miliones scellinorum solvendas esse, antequam omnino ad possessionem praedii perveniret. Cum autem historia praevia Tragoessiana ubique nota esset, praedium silvestre modo publicae licitationis versimiliter vix vendibile esse, quia ne argentaria quidem Monacensis licitationem participatura esset. P. Aloisius Seibert insuper dubitavit, an baro Leuzendorf secundum statum suum oeconomicum licitationi interesse revera valeret.¹⁰

Si deliberationes P. Aloisii Seibert sunt rectae, baro, cum publicam licitationem fortasse instituendam participare voluerit, ex pecuniā 2.000.000 scellinorum iam acceptā primo 1.500.000 scellinorum solvere debuisset, ut omnino iterum possessionem praedii sibi acquireret, quod tamen deinde non maius

9 publica licitatio: *Versteigerung*. - Cfr Iohannes Paulus BAUER: *Lexicon terminorum iuridicorum et politicorum nostrae aetatis*. Saraviponti 2008, p. 506.

10 P. Aloisius hōc in conexū aliam adnotationem scitū dignam protulit, quā Rudolfi von Leuzendorf mirus quidam modus oeconomice se gerendi illustratur. Nam rettulit adhuc mense Iulio a. 1928ⁱ postulatum quattuor milionum scellinorum in libro fundorum inscriptum usque ad summam 190.000 scellinorum Societati argentariae Vindobonensi ut pignus dedisse, quamquam illo temporis momento accusationis libellum «Culturalis Societatis» iam manibus tenuisset. Inde sequelas calamitasas baroni sequi posse, cum, si idem processum iuridicum perderet, argentaria Vindobonensis ex hypotheca nullam cautionem haberet. Et P. Aloisius subiunxit haec: «*Itaque omnino aenigmaticum est, quomodo aliquis tali condicione oppignorationem tam periculosam alicuius postulati tam dubii facere possit.*» (epistula Aloisii Seibert die 26 m. Aug. a. 1928 ad Constantinum von Hohenlohe data (ASO, A.4.2.)). - Textus originaliter Theodiscus.

lucrum praeberet quam antea.

Id, quod Rudolfus von Leuzendorf ipsiusque iurisconsulti in processū quodam iuridico imprimis afferre voluerunt, erat modus procedendi P.ris Ludgeri Breindl, qui emendi voluntatem absolutam neque ullā re irritandam exhibuisset et etiam dubitationes atque altercationes alterius partis non auscultavisset.¹¹ Haec argumenta non imprudenter erant electa, cum accusatione propter «laesionem enormem» contractus non posset improbari, si illi, cui ex emptione detrimentum pecuniarium exortum erat, rem emptam ex cupiditate speciali susceperat.¹²



Imago recepta e via, quae ad montem Pribitz ducit.

Ut vero quoad possibilem processum iuridicum fundamentum aliquatenus securum haberet et ut ad impetūs providendos alterius partis praeparatus

11 Cfr ex. gr. epistula Aloisii Seibert die 15 m. Nov. a.1928 ad Notkerum Mannhart directa (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 19 m. Nov. a.1928 ad Ludgerum Breindl directa (ASO, A.4.2).

12 Praeter alias causas talis contractus etiam improbari non potuit, si illi, qui detrimentum habuit, verus valor rei erat notus.

esset, praesertim P. Notkerus Mannharta e P.re Ludgero Breindl scire voluit, num ĩdem inter consultationes venditionis emptionisque atque post easdem aliquid baroni eiusque repraesentantibus dixisset vel epistulariter protulisset, quo cautio a Rudolfo von Leuzendorf praebita esset relativa reddita vel sublata.¹³ Nam si quid huiusmodi, quod altera pars testimonio allato probare potuisset, inter ipsum processum iuridicum apparuisset, possibilitates Ottilianorum valdissime minutae essent. Commercium epistulare inter P.rem Notkerum Mannhart atque P.rem Ludgerum Breindl hac in re est scitū vere dignum, praesertim nonnulla enuntiata, quae P. Ludgerus ad condicionem consultationum venditionis explicandam atque ad se defendendum protulit.¹⁴ Maioris momenti imprimis mihi videtur P.rem Ludgerum affirmavisse e parte Rudolphi von Leuzendorf eiusque repraesentantibus nulla dubia vel indicia problematum praedii prolata esse, sed dicta contraria, id est affirmativa esse exhibita. P.re autem Ludgero interrogante, num omnia indicia praebita essent recta, baronis iurisconsultum D.rem Albertum Hoffer actione iuridicā minatum esse.¹⁵ Praeterea Rudolfum von Leuzendorf rogationem urgentem, quā codices negotiales inspicere vellent, neque ei ipsi neque praeposito saltuario Hümmer concessisse.¹⁶

Non est quidem causa, cur his explicationibus P.ris Ludgeri non sit credendum, e contrario. Nam omnibus rebus perpensis, quas usque nunc de modo,

13 *Cfr* epistula Notkeri Mannhart die 21 m. Maii a. 1928 ad Ludgerum Breindl directa (ASO, A.4.2); epistula Ludgeri Breindl die 12 m. Iun. a. 1928 ad Notkerum Mannhart data (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 19 m. Nov. a. 1928 ad Ludgerum Breindl missa (ASO, A.4.2); epistula Ludgeri Breindl die 23 m. Nov. a. 1928 ad Notkerum Mannhart directa (ASO, A.4.2). - P. Ludgerus hōc in commerciō epistulari aegre tulerat, quo iure P. Notkerus ipsum de talibus rebus interrogaret atque instructiones daret. Tamen ad quaestiones positas respondit. Sed in querelā suā P. Ludgerus non respexit P.rem Notkerum ut secundum praepositum «Culturalis Societatis» potestate instructum et ut Superiorem praedii Tragoessiani rationem reddendam poscere potuisset.

14 *Cfr* epistula Ludgeri Breindl die 23 m. Nov. a. 1928 ad Notkerum Mannhart data (ASO, A.4.2).

15 Quod attinebat ad praepositum saltuarium Robertum Etzelt, P. Ludgerus existimaverat eundem praedium vendi revera noluisse, quia meliorem dominum quam baronem accipere non potuisset.

16 Insuper nullum verbum prolatum esse de difficultatibus pecuniae solvendae, in quibus praedium semper versatum esset.

quo baro eiusque iurisconsulti progrediebantur, scimus, verba P. ris Ludgeri factis realitatieque verisimiliter congruunt. Tamen postquam Dr Albertus Hoffer actione iuridicā minatus est atque emptoribus, ut codices negotiales inspicerent, non concessum est, consultationes emptionis revera statim et sine haesitatione finiri debuissent. Quod P. Ludgerus hōc non fecit, ipsi revera opprobrio dari potest.

Possibilitates ergo Ottilianorum bonum processūs eventum perpetrandi non omnino sine spe erant. Inde a mense Septembri paulatim etiam novi impulsūs exorti sunt, quibus consultationes reconciliationis cum Rudolfo von Leuzendorf fierent. P. Aloisius existimavit hunc fuisse effectum epistolae suae ad P. rem Constantinum von Hohenlohe directam,¹⁷ quā in re fortasse recte dixit.¹⁸ Utique P. Aloisius Seibert, consiliarius saltuarius Iosephus Dimitz et P. Notkerus Mannhart variis colloquiis praeviis conventum cum Rudolfo von Leuzendorf praeparaverunt, qui tertiā septimanā mensis Septembris institueretur et quo primi accessūs ad consultationes reconciliationis fierent.¹⁹ Baro ipse illo temporis momento se saltem quadamtenus ad consultationes esse paratus monstravit, cum - ut dicebatur -, si fortasse reconciliatio fieret, ean-

17 Hanc opinionem in epistolā suā die 13 m. Sept. ad Notkerum Mannhart directā (ASO, A.4.2) significavit.

18 Thomas Spreiter in epistolā die 11 m. Nov. a. 1928 ad Fidelem von Stotzingen missā (ASO, Z.3.01.4; ASA, APr 595) rettulit Rudolfum von Leuzendorf asseverare P. rem Constantinum von Hohenlohe ipsi suasisse, ne Ottilianis cederet, cum solvere possent. Alterā ex parte P. Constantinus ad P. rem Aloisium dixerat optimum esse processum iuridicum ad Rotam* transferre atque baronem illi iudicio tunc obtemperare debere. Thomas Spreiter de hac contradictione miratus est. Sic etiam Thomas Spreiter: Tagebuch, 10.11.1928 (ASO, A.1.8.1).

Sententiae, quas Rudolfus von Leuzendorf dissipavit, tamen videntur dubiae et verisimiliter inde exortae sunt, quod Ottilianos intranquillos reddere et detertere voluit.

*) Rota (Apostolicum Rotae Romanae Tribunal): summum ecclesiae tribunal ad iudicium contentiosum atque ad iudicium criminale spectans. Penes Rotam imprimis sunt disceptationes de episcopis Abbatibusque et causae de matromonii nullitate, sed etiam omnes lites, quas papa ad ipsam transtulit.

19 Cfr ex. gr. epistula Aloisii Seibert die 11 m. Sept. a. 1928 ad Notkerum Mannhart directā (ASO, A.4.2); epistula Aloisii Seibert die 20 m. Sept. a. 1928 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2).

dem episcopo Gradeciensi Ferdinando Stansislao Pawlikowski²⁰ participante inire voluit.²¹ Scopus autem, quem Rudolfus von Leuzendorf hac cogitatione habuit, non satis clarus est,²² sed mediatio episcopi propter cursum eventuum denique non est facta. P. Aloisius nihilominus non multa exspectavit e conventū, qui cum Rudolfo von Leuzendorf in fine mensis Septembris fieri praecogitatus erat.²³

Cum baro consulationes videlicet modo aliquatenus dilatorio tractavisset,²⁴ ille conventus tamen denique diebus 21^o et 22^o m.Oct. a.1928^o instituebatur.²⁵

-
- 20 Ferdinandus Stanislaus Pawlikowski (1877-1956) mense Aprili a. 1927ⁱ episcopus princeps dioecesis Seccoviensis redditus erat. Anno 1920^o Pawlikowski vicarius exercitiū factus erat et deinde titulo honorario papalis praelati domestici auctus est. Anno 1953^o de resignatione a munere episcopali rogavit. - *Cfr* ex. gr. Ekkart SAUSER: Pawlikowski, Ferdinand Stanislaus. In: Biographisch-Bibliographisches Kirchenlexikon 7, 1994, col. 107 sqq.; Stephanie GLÜCK: Pawlikowski, Ferdinand Stanislaus. In: Biographisch-Bibliographisches Kirchenlexikon 40, 2019, col. 1013 sqq.
- 21 Talia commemoravit Aloisius Seibert in epistulā suā die 13 m. Sept. a. 1928 ad Notkerum Mannhart directā (ASO, A.4.2), quā P.rem Notkerum rogavit quōque, ut iam in antecessum episcopum adiret atque eidem de totā re referret. P. Notkerus, qui episcopum occasione alicuius sollempnitatis confirmationis cognoverat, mediationem solo episcopo praesente non esse revera opportunam existimavit (similiter ac P. Aloisius), cum de ipso iudicavit hunc in modum: *«Idem quidem est dominus intellegens, tamen elegantiarum litterarum nimis amans atque idealista, parum acriter atque congruenter cogitans.»* (epistula Notkeri Mannhart die 15 m. Sept. a. 1928 ad Aloisium Seibert directa (ASO, A.4.2). - Textus originaliter Theodiscus.
- 22 P. Notkerus suspicatus est scopum fuisse in eo, ut Ottiliani opprimerentur.
- 23 Sic scripsit in epistulā suā die 20 m. Sept. a. 1928 ad Notkerum Mannhart missā (ASO, A.4.2).
- 24 In initio mensis Octobris Rudolfus von Leuzendorf illum impetum supra iam commemoratum instigaverat, quo processus iuridicus insuper in Germaniam quōque transferretur.
- 25 Terminus exactus illius conventūs apparet ex epistulā Norberti Weber die 26 m. Oct. a. 1928 ad Fidelem von Stotzingen directā (ASA, Apr 578), qui eodem die scripsit colloquia *«diebus sabbati atque dominici praeteritis»* instituta esse. Locum autem conventūs Norbertus Weber indicavit Monacum. Sic etiam Iosephus Dimitz in epistulā die 25 m. Oct. a. 1928 ad Notkerum Mannhart datā (ASO, A.4.2). - Cyrill SCHÄFER: Stella maris. St. Ottilien 2005, p. 152 refert Norbertum Weber medio mense Octobri ad hunc conventum Vindobonam vectum esse.

Rudolfus von Leuzendorf, P. Aloisius Seibert et Archiabbas Norbertus Weber Monacum conveniebant, ut colloquia quadamtenus praevia haberent, quomodo reconciliatio contractūs fieri posset. Sed illa colloquia non revera iucunda atque prospera fuisse videntur,²⁶ quia primo baro modo aggressivo iurisconsulto D.ri Vilas atque consiliario saltuario Iosepho Dimitz fraudem atque exactiones violentas opporbrio dedit et generaliter Ottilianos perterrere conatus est. Talis autem habitus videtur generaliter praedilectus baronis modus progrediendi fuisse, ut iamsaepius animadvertimus. Nihilominus parvus effectus acquiri potuit, nempe Rudolfus von Leuzendorf venditionem praedii ad tertium quendam fieri assensus erat.²⁷

Archiabbas Norbertus ex his colloquiis sensibus aliquatenus depressivis domum revertit, id quod non est mirandum.²⁸ Illo in conventū Monacensi Archiabbas Norbertus baroni etiam primā vice personaliter occurrerat, et cum Thomas Spreiter eum interrogaret, qualem perceptionem illius viri haberet, confiteri debuit perceptionem non fuisse bonam.²⁹ Solum suspicari valemus, num tota res Tragoessiana fortasse omnino aliter evenisset, si Norbertus Weber ipse cum Rudolfo von Leuzendorf iam statim in initio convenisset, ut consultationes iniret. Tunc enim eius perceptio baronis non nimis positiva effectum in consultationeseemptionis exerere potuisset. Sed quidquid id est, brevi post colloquia Monacensia Archiabbas succinctam relationem de statu

26 Iosephus Dimitz Notkero Mannhart epistolā die 25 m. Oct. a. 1928 missā (ASO, A.4.2) breviter rettulit ea, quae P. Aloisius ipsi de hac consultatione narraverat.

27 Iosephus Dimitz recte admonuit (epistula die 25 m. Oct. a. 1928 ad Notkerum Mannhart directa (ASO, A.4.2)) inde difficultates exoriri posse, si Rudolfus von Leuzendorf non explicaret, quā pecuniariā summā minimā ei solvendā contentus esset. Nam si processus iuridicus continuaretur atque «Societas Culturalis» interea emptorem inveniret, qui 5.000.000 scellinorum solvere paratus esset, baronem dicere posse «Culturalem Societatem» ipsi quinque miliones scellinorum solvere debere, si praedium tanti valoris esset. Si autem, uti in libello accusationis scriptum erat, tantummodo valorem 3.500.000 scellinorum haberet, tunc «Culturalem Societatem» emptorem novum defraudavisse.

28 Hōc apparet ex verbis, quae Thomas Spreiter diebus 24 m. Oct. a. 1928 et 25 m. Oct. a. 1928 in diario suo adnotavit. (ASO, A.1.8.1).

29 Cfr. Thomas Spreiter: Tagebuch, 25.10.1928 (ASO, A.1.8.1).

rerum Abbati Primati misit, quae aliquatenus anceps erat.³⁰ Nam unā ex parte confessus est illā occasione reconciliationem omnino non esse factam,³¹ alterā ex parte locutus est de spe fore, ut nonnullis diebus post Abbati Primati iam nuntios prosperos dare posset.

Illa spes versimiliter cum aliquo cohaerebat, qui praedium Tragoessianum emere voluit.³² Propter «licentiam» Leuzendorffii tunc possibilitas officialis data erat et Norbertus Weber iam die 23^o m. Oct. a. 1928^o P. rem Aloisium Seibert Vindobonam misit, ubi emptor possibilis, quidam Wolfgangus [*Wolf*] Lagstein, habitavit, ut idem consultationes venditionis proveheretur.³³ Mirum

30 Cfr epistula Norberti Weber die 26 m. Oct. a. 1928 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 578).

31 Scripsit praeterea tantummodo actum esse de baronis actione opprimendi.

32 Iam antea nonnulla conamina vendendi facta erant, quae tamen omnia in irritum ceciderant. Conamen quoddam problematorum solvendorum exempli gratiā exortum est ex Vindobonensi consiliario aulico Gyömrői, quem - ut dicebatur - Cardinalis Vindobonensis adiuvit. Cogitatum videtur fuisse - sic erant explicationes P. ris Aloisii - consiliario aulico ducente societatem sponsionis limitatae* conditum iri, quae praedium silvestre conducirer. «Culturalem Societatem» triginta centesimas lucri puri accepturam esse, totam vero pecuniam comparandam societatem sponsionis limitatae suscepturam esse. Cogitabatur hanc societatem sponsionis limitatae praedium in quadraginta quinque annos conducturam esse, «Culturalem Societatem» vero nullas curas venditionis neque curas pecuniarias habituram esse et denique illis quadraginta quinque annis peractis praedium aere alieno non iam oneratum denuo suscepturam esse. (Cfr epistula Aloisii Seibert die 24 m. Iun. a. 1928 ad Notkerum Mannhart data (ASO, A.4.2)). - Haec tota constructio revera «Cul-turali Societati» nimis simpliciter atque nimis opportune sonat, ut bonum fundamentum ei fuerit. Etiam P. ri Notkeri haec res videbatur dubia (cfr epistula Notkeri Mannhart die 10 m. Iul. a. 1928 ad Aloisium Seibert missa). In posterum vero hoc propositum non iam apparuit.

*) societas sponsionis limitatae: *Gesellschaft mit beschränkter Haftung (GmbH)*. - Cfr Christian HELFER: *Lexicon Auxiliare*. Saraviponti ³1991, p. 237.

33 Unā cum Volfgango Lagstein quidam Dominus Wiest ad prima colloquia instituenda apud consliarium saltuarium Dimitz fuerat, qui verisimiliter munere proxenetae hōc in negotioungebatur. Ille Dominus Wiest unā cum Ignatio [*Ignaz*] Piehler fuerat proxeneta in ipsā praedii silvestris emptione a «Culturali Societate» factā. Inde a mense Decembri a. 1928ⁱ difficultates cum illis viris exoriebantur, qui postulaverunt, ut ipsis impensae proxenatarum solverentur, et deinde viam processūs iuridici ingressi sunt. (Cfr epistula Aloisii Seibert die 27 m. Dec. a. 1928 ad Notkerum Mannhart directa (ASO, A.4.2); epistula

tamen est totam rem - etiam Volfgangi Lagstein visitationem praedispositam praedii Tragoessiani - condicione omnino secretā peragenda fuisse,³⁴ quā totum negotium aliquatenus suspiciosum redditur. Etiam ex hōc inceptō paulo post non iam quicquam audiebatur.

Etiamsi tales actiones circumcirca praedium Trgoesianum fiebant, condicio-nes in ipsā Archiabbatiā magis magisque difficiles reddebantur. Hōc non solum cohaerebat cum problematis, quae ex possessione praedii Tragoessiani eiusque statū pecuniario pessimo evēnērunt, sed imprimis etiam cum Archi-abbatis nimīa contentione virium, quae paulatim denuo percipiebatur. Norber-tus Weber propter nimietatem laborum et propter curas varias magnasque a convetū suo quadamtenus se retraxit, propter mancā suam politicā informationum dandarum diffidentiam sēnsit et tamen - id quod iam antea sic se habuerat - labores quosdam aliis revera tradere non valuit. Multi Patres Ottilienses, sed etiam Praelati Congregationis descensum disciplinae monasti-cae in Archiabbatiā vigentem reprehenderunt, id quod Archiabbati opprobrio dederunt.

Iam mense Augusto anni 1928ⁱ Thomas Spreiter Abbatem Primate[m] epistula-riter adiit eumque rogavit, ut convenirent, cum eum de statū rerum quoad res

Iosephi Dimitz die 4 n. Ian. a. 1929 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 8 m. Ian. a. 1929 ad Iosephum Dimitz data (ASO, A.4.2.); epistula Aloisii Seibert die 18 m. Febr. a. 1929 ad Notkerum Mannhart directa (ASO, A.4.2); epistula Aloisii Seibert die 28 m. Apr. a. 1929 ad Notkerum Mannhart data (ASO, A.4.2); epistula Iusti Gämperli die 2 m. Oct. a. 1929 ad Fridolinum Zimmermann missa (ASO, A.4.2)). - Ignatius Piehler, qui ad primos sodales «Culturalis Societatis» recenter conditae pertinebat, mense Iulio a. 1928ⁱ hanc «Societatem» reliquerat (cfr epistula Notkeri Mannhart die 26 m. Iul. a. 1928 ad Iosephum Dimitz directa (ASO, A.4.2). Fortasse haec erat reactio, quia P. Ludgerus Breindl ut secundus praepositus «Culturalis Societatis» depositus erat.

- 34 Iosephus Dimitz epistolā die 25 m. Oct. a. 1928 ad Notkerum Mannhart datā (ASO, A.4.2) modum progrediendi inter visitationem Tragoessianā Volfgangi Lagstein singil-latim atque usque ad minimā particulam explicuit, ut nemo verā causā commorationis cognoscere posset. Ut ex verbis consiliarii salutaris apparet, ipse hōc in negotiō non satis bene se habuit, et P. Notkerus quōque existimavit sibi ab Iosepho Dimitz «*tales nugas numquam antea offerendas fuisse*» et «*talem urgentiam nervosam*» non esse necessariā (cfr epistula Notkeri Mannhart die 27 m. Oct. a. 1928 ad Iosephum Dimitz directa (ASO, A.4.2)). - Sententiae originaliter Theodiscae.

Tragoessianas³⁵ atque de aliis rebus «tristibus» certiore faceret.³⁶ Revera medio mense Septembri conventus Pragae factus est, ubi Abbas Primas modo versabatur.³⁷ Quamquam Fidelis von Stotzingen illas res, quas Thomas Spreiter ei manifestavit, iam scivisse videtur, ipse die 8^o m. Oct. a. 1928^o in Archiabbatiam pervēnit - quod verisimiliter effectus illius colloquii erat -, ut cum Archiabbate consultationes de problematis iniret.³⁸ Eodem die Abbas Primas Thomae Spreiter de effectū rettulit, id est Sanctae Sedi nuntios dandos esse et papam deinde verisimiliter resignationem Archiabbatis postulaturum esse. Tamen illo temporis momento regularem electionem abbatialem fieri non posse, quā de causā solum illa via iniri posset, quā Administrator Apostolicus institueretur.³⁹ Sed his verbis atque hac perceptione res nondum vere promovebatur.

Etiam in posterum episcopus Thomas Spreiter atque Abbas episcopus Bonifatius Sauer, qui post Capitulum generale adhuc in Archiabbatiā Ottiliensi versabantur, saepius collocti sunt et deliberaverunt, quid faciendum esset. Episcopo Bonifatio consentiente Thomas Spreiter in fine mensis Octobris a. 1928ⁱ denuo epistulariter ad Abbatem Primatem se convertit.⁴⁰ Illo scripto episcopus iterum clare significavit Cardinalem Vilelmum [*Wilhelm*] van Rossum, Praefectum Cogregationis de Propaganda Fide, Cardinalem Camillum [*Camillo*] Laurenti, Praefectum Congregationis Religiosorum atque ipsum papam nunc omnimodo certiores faciendos esse «*Archiabbatiam Ottiliensem in praecipiti esse et sanationem fundamentalem urger*

35 «*antequam finis malus eveniet*», ut scripsit.

36 Cfr Thomas Spreiter: Tagebuch, 21.8.1928 (ASO, A.1.8.1).

37 Cfr Thomas Spreiter: Tagebuch, 18.9.1928 (ASO, A.1.8.1).

38 Cfr Thomas Spreiter: Tagebuch, 4.10.1928; 8.10.1928 (ASO, A.1.8.1).

39 Cfr Thomas Spreiter: Tagebuch, 8.10.1928 (ASO, A.1.8.1). - Abbas Primas existimavit illum Administratorem necessario fore unus ex duobus episcopis Congregationis. Sed ad animi levamen Thomae Spreiter de Bonifatio Sauer cogitavisse videbatur.

40 Cfr epistula Thomae Spreiter die 23 m. Oct. a. 1928 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASO, Z.3.01.4; ASA, APr 585). De hac re etiam refert Thomas Spreiter: Tagebuch, 23.10.1928 (ASO, A.1.8.1).

necessariam esse.»⁴¹ Deliberationes Abbatis Primatis iam antea prolatas suscipiens insimul proposita de modo, quo tunc progrediendum esset, exhibuit. Putavit enim resignationem atque administrationem eodem tempore fieri debere et hōc quidem celeriter. Administratori futuro munere suo deinde tam diu fungendum esse, usque dum problemata essent sanata; antea vero visitationem apostolicam instituendam esse, quā Administratori normae definirentur.⁴²

Tamen haec epistula Praelatis non sufficebat, cum constituissent, ut die 29^o mensis Octobris ad aliam consultationem Herbipoli convenirent, ad quam etiam Abbas Placidus Vogel adveniret.⁴³ Hac occasione datā illi tres Praelati decreverunt, ut episcopus Thomas Spreiter ut delegatus Romam veheretur atque cum Abbate Primate de condicionibus consuleret.⁴⁴ Iam die 3^o mensis Novembris hōc colloquium Romae instituebatur,⁴⁵ in quo certe de urgentiā condicionum atque de generali modo progrediendi unanimiter sentiebant. Tamen eorum sensūs non erant vere fiduciae pleni.

Illo tempore Archiabbas Norbertus quōque animo satis depresso laboravit, cum consultationes cum Rudolfo von Leuzendorf haerent,⁴⁶ et ipse de bono eventū totius rei dubitaret. Itaque adductus erat, ut petitionem resignationis ad Abbatem Pratem mitteret. Documentum autem die 12^o m. Nov. a. 1928^o

41 Sententia originaliter Theodisca. - Argumentum - sicuti iam antea - erat in eo, quod imbecillitas Archiabbatis esset nimia atque eum habenas non iam tenere. - Eadem fuerat argumentatio Thomae Spreiter iam anno 1921^o. Cfr vol. 2, cap. 9.4.

42 Tales normas putavit Thomas Spreiter fore subsidium Administratoris, cum existimaret in Conventū diffidentiam exspectandam esse. Praeterea episcopus desideravit Administratori ius esse, ut «*indignos monachos professos*» a votis solvere posset.

43 Scitū dignum est Abbatem Coelestinum Maier, quamquam secundus Abbas assistens erat, ad hanc consultationem non esse accitum.

44 Cfr Thomas Spreiter: Tagebuch, 29.10.1928 (ASO, A.1.8.1).

45 Cfr Thomas Spreiter: Tagebuch, 3.11.1928 (ASO, A.1.8.1).

46 Die 11 m. Nov. a. 1928 Thomas Spreiter ad Fidelem von Stotzingen (ASO, Z.3.01.4; ASA, APr 595) scripsit secundum nuntium P.ris Aloisii baronem omnino nullas consultationes inire velle, nisi antea usurae pro emptionis summā 4.000.000 scellinorum nondum traditā solverentur. Thomas Spreiter existimavit hanc summam circiter 220.000 scellinorum esse solvendam, tamen cautione, quā ex hac pecuniā datā nulla sequela iuridica de contractū valente eveniret.

datum habuit textum hunc:⁴⁷

«Norbertus Weber, OSB, Archiabbas Ottiliensis ad Pedes Sanctitatis prostratus, omni qua par est humilitate exponit:

Infirma qua semper fui valetudine nunc per plus quam 25 annos gubernium maximi mei Monasterii necnon et totius nostrae Congregationis regimen tenui. At nunc me imparem sentio, qui cum salute animarum et cum emolumento tanti operis praeesse possim Congregationi et Monasterio. Insuper difficultatibus, quibus sanitas mea minime correspondet, suppressor; quare Sanctitatem Tuam humillimis precibus rogo, ut Ipsa mihi onere Abbatiali deposito licere dignetur aliquo loco animae meae providere ibique pro parvis meis viribus laborare quo mihi adhuc Deus concedit tempore.»

Causam maximi momenti, cur munus suum deponere desideraret, Archiabbas valetudinem suam affectam nominavit. Difficultates quasdam quōque commemoravit tamen easdem exacte non afferens.⁴⁸

Propter hanc Norberti Weber petitionem resignationis et propter scientiam suam condicionis periculosi Fidelis von Stotzingen adductus erat, ut Congregationem Religiosorum certiorum faceret Abbatiam Ottiliensem prope decoctionem esse, quā de causā etiam suasit, ut ad condiciones clariores reddendas visitatio in Archiabbatiā institueretur.⁴⁹

Et in Archiabbatiā Ottiliensi de eventibus futuris deliberabatur, sed praesertim episcopus Thomas Spreiter atque Abbas episcopus Bonifatius Sauer communicationem crebram de progrediendi modo consequente inter se atque cum Abbate Primate habebant. Brevi ante eius profectionem ex Archiabbatiā in Africam Meridionalem Subprior P. Rupertus Klingseis Thomam Spreiter

47 Norbert Weber: Petitio resignationis, 12.11.1928 (ASA, APr 578). - Textus originaliter Latinus.

Hanc petitionem resignationis commemorat etiam Cyrill SCHÄFER (2005), p. 152.

48 Num Thomas Spreiter Archiabbati hunc gressum insinuaverit, ex fontibus probari non potest, cum episcopus in diario suo atque in commercio epistulari nihil huiusmodi protulerit. Cum vero non multo ante Romae versatus sit et cum colloquium cum Abbate Primate habuerit, suspicatio huiusmodi conexūs tamen fieri potest.

49 De hac re *cfr* etiam Cyrill SCHÄFER (2005), p. 152.

rogavit, ut maneret atque rem Tragoessianam suscipere.⁵⁰ Videtur autem P. Rupertus de petitione resignationis iam aliquid audivisse, cum de necessitate alicuius Administratoris Apostolici locutus esset cogitans de Thoma Spreiter. Tamen episcopo Thomae talis deliberatio omnino non v̄nit in quaestionem et praeterea secundum eius opinionem omnibus his in rebus via legalis ingredienda erat.⁵¹

De hac viā legali imprimis Thomas Spreiter et Bonifatius Sauer deliberaverunt. Quod attinebat ad visitationem provisam, Thomas Spreiter ut visitatores Abbates sive Beuronensem sive Lacensem⁵² sive Abbatiae Sancti Iosephi proposuit, cum Bonifatius Sauer putaret optimum esse ipsum Abbatem Primate unā cum aliquo Abbate assistente visitationem exhibiturum esse.⁵³ Sed Bonifatius Sauer praeterea proposita vere exacta exhibuit, quod attinebat ad quaestiones personales tractandas, quas putavit esse maximi momenti.⁵⁴

50 Hōc rettulit Thomas Spreiter in diario suo, 13.11.1928 (ASO, A.1.8.1) et in epistulā die 13 m. Nov. 1928 ad Fidelem von Stotzingen directā (ASO, Z.3.01.4; ASA, APr 595).

51 Colloquio quodam cum Priore atque cum episcopo habito Subprior P. Rupertus Klingseis sententiam protulit tantummodo P.rem Chrysostomum Schmid vel P.rem Meinulfum Küsters condiciones Archiabbatiae sanare valere. *Cfr* epistula Thomae Spreiter die 17 m. Nov. a. 1928 ad Fidelem von Stotzingen missa (ASO, Z.3.01.4; ASA, APr 595). - Aliquatenus hilaris hōc in conexū est adnotatio episcopi Thomae colloquio habito Priorem P.rem Martinum Malter ad Thomam Spreiter dixisse P.rem Rupertum nominavisse quidem P.rem Chrysostomum atque P.rem Meinulfum, sed de semet ipso locutum esse.

52 Maria Lacensis: *Maria Laach*.

53 *Cfr* epistula Bonifatii Sauer die 26 m. Nov. a. 1928 ad Fidelem von Stotzingen data (ASO, Z.1.Asien, ASA, APr 585). - De hac re etiam Cyrill SCHÄFER (2005), p. 152.

54 In epistulā suā die 26 m. Nov. a. 1928 datā de hac quaestione explicuit imprimis P.rem Ludgerum poenā gravi multandum esse, cum Archiabbatem et Conventum defraudavisset. Talem poenam Conventum exspectare, «*ne fiduciam amitteret*». Ipsius proprium iudicium de P.re Ludgero erat non nimis affābilis, cum scriberet: «*Interrogandum sane est, num ille vir revera sit mentis compos.*» - Sententiae originaliter Theodiscae. - Insuper P.rem Aloisium Seibert a munere cellerarii amovendum esse et fortasse ad alium locum transferendum esse. Iudicium quōque de P.re Meinulfo non vere opportunum erat, quia Abbas episcopus Bonifatius existimavit eum munus suum universitarium omnimodo relinquere debere atque eum in Africam Orientalem mittendum esse. Nam eius praesentiam pro clericis Monaci versantibus esse nocivam, cum, etiamsi ei essent qualitates quaedam, idem non esset vir ordinis religiosi. Similiter P.rem Laurentium Kilger

Nihilominus Praelati consentiebant Archiabbatiam Ottiliensem esse servandam - «*constet, quanticumque necessarium sit*»⁵⁵ - et omnibus in actionibus quam cautissime progrediendum esse, ne in perceptione publicā, quae de Congregatione Ottiliensi haberetur, detrimentum exoriretur et ut benefactores in emolumentum operum missionariorum ei servarentur.⁵⁶ Aliter enim tota Congregatio atque opus missionarium corruerent.

Interea res Tragoessiana tamen in quiete non est relicta. Adhuc conamina ad emptores sive pecuniae collocatores inveniendos, ad processum iuridicum praeprandum atque ad consultationes reconciliationis provehendas fiebant. Propter hanc reconciliationem perpetrandam iterum iterumque conventūs cum Rudolfo von Leuzendorf instituebantur, quā in re ex parte Ottilianā P. Aloisius Seibert magnā ex parte erat particeps colloquiorum.⁵⁷ Nihilominus res solum lente atque tenaciter progrediebantur, cum Rudolfus von Leuzendorf videlicet vix movebatur in quaestionibus maximi momenti, quae scilicet spectabant ad pretium emptionis minuendum atque ad privilegia in contractū constituta.

Ut reliqua pars pecuniariae summae emptionis, qualiscumque denique futura esset, tamen erogare posset, «Culturalis Societas» pecuniā urgender et imme-

melius in regionem missionariam mittendum esse. In epistulā suā die 10 m. Dec. a. 1928 ad Fidelem von Stotzingen missā (ASO, Z.1.Asien; ASA, APr 585) Bonifatius Sauer deliberationes suas insuper auxit, quod attinebat ad clericatum, qui visitatione profundā atque structurā severiore indigeret.

De plerisque his punctis *cfr* etiam Cyrill SCHÄFER (2005), p. 152 et adn. 330.

55 Sententia originaliter Theodisca. - Epistula Bonifatii Sauer die 26 m. Nov. a. 1928 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASO, Z.1.Asien; ASA, APr 585).

56 *Cfr* ex. gr. epistula Bonifatii Sauer die 26 m. Nov. a. 1928 ad Fidelem von Stotzingen data (ASO, Z.1.Asien, ASA, APr 585); epistula Thomae Spreiter die 7 m. Dec. a. 1928 ad Fidelem von Stotzingen missa (ASO, Z.3.01.4; ASA, APr 595).

57 P. Notkerus Mannhart compluries rogavit, ut consultationes participare posset. Cum condiciones Tragoessianas optime nosceret, certe non fuisset malum, si colloquiis saepius adfuisset. P.ri Notkero praeterea aliud argumentum bonum erat. Nam P. Aloisius atque P. Notkerus varios modos progrediendi erga Rudolfum von Leuzendorf habebant (quibus singulis emolumentum quoddam erat), cum P. Aloisius potius caute cum barone ageret et itaque ab ipso magis diligeretur, P. Notkerus vero non timeret, ne verba aperta proferret. - *Cfr* ex. gr. epistula Notkeri Mannhart die 4 m. Dec. a. 1928 ad Iosephum Dimitz directa (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 13 m. Dec. a. 1928 ad Iosephum Dimitz missa (ASO, A.4.2).

diatē indigebat. Hac in difficili quaestione solvendā in fine mensis Novembris a. 1928ⁱ possibilitas quaedam patefieri videbatur. Nam officina quaedam sive consociatio, cui nomen erat «Anima»,⁵⁸ proposuerat se unam milionem dollariorum⁵⁹ praebituram atque in «Culturalem Societatem» intraturam esse, ut ibidem administrationem responsalem susciperet, ita ut Ottiliani ex hac Societate se recipere possent.⁶⁰ Hoc significavit structuram «Culturalis Societatis» eandem mansisse et tantummodo praepositos fore alios atque hunc in modum responsalitates mutatum iri. Tali incepto peracto «Culturalis Societas» sanata fuisset.

Quamquam illud negotium omnino nondum transactum erat, Archiabbas Norbertus fiducia omnino plenus erat, ut eventus huius rei foret bonus. Itaque iam in fine mensis Novembris Abbati Primati Fideli von Stotzingen nuntium positivum misit emptorem iam esse inventum, qui paratus esset, ut satis magnam summam pecuniariam daret, ita ut Ottiliani sine ullo detrimento (sive pecuniario sive alio) e totā re intricatissimā evadere possent.⁶¹ Eādem occasione subiunxit omnes consultationes praevias - et cum emptore proviso et cum Rudolfo von Leuzendorf de pecuniariā summā satisfactionis - modo opportuno tantopere progressas esse, ut «*omnia bene eventura essent*». Quod autem attinebat ad singulas consultationes, haec perceptio - et quod attinebat ad «Animam» et quod attinebat ad baronem - realitatibus non ita bene conveniebat.⁶²

58 Plura certioraque de hac consociatione inveniri non potuerunt. Agebatur verisimiliter - uti ex variis adnotationibus in commerciis epistularibus apparet - de institutione quadam Americanā vel saltem de tali, cui arti conexūs cum Americā Septentrionali erant.

59 1.000.000 dollaria = 4.190.000 marcae = 7.101.695 scellini Austriaci.

60 Cfr ex. gr. epistula Notkeri Mannhart die 28 m. Nov. 1928 ad Norbertum Weber directā (ASO, A.4.2); epistula Aloisii Seibert die 27 m. Dec. a.1928 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2). - Ut proxeneta hac in re denuo Augustus Apell egerat, qui in conexū talium similiumque negotiorum iterum iterumque apparuit.

61 Cfr epistula Norberti Weber die 27 m. Nov. a. 1928 ad Fidelem von Stotzingen missa (ASA, APr 578). - Ad hanc rem etiam Cyrill SCHÄFER (2005), p. 152.

62 Nihilominus Norbertus Weber epistulae suae diei 27 m. Nov. inseruit sententiam «*si vero contra expectationem res male eveniret atque consultationes ad finem non perducerentur ...*». - Sententiae originalliter Theodiscae.

Etiamsi Archiabbas ipse - sicuti etiam nonnulli alii⁶³ - interim propter praedium «Animae» vendendum dubitavit,⁶⁴ brevi tempore post primum spei nuntium denuo epistolam prosperam ad Abbatem Primatem direxit, quae speciem praebet emptionem quasi transactam esse, cum consultationes essent immediate ante finem atque tantummodo earum recognitionem apud tabellionem deesset.⁶⁵ Ei ergo erant - uti ipse dixit - «*nullae iam dubitationes, quin omnia bene evenirent*», et haec quidem sine materiali damno memoratū digno Archiabbatiae Ottiliensis. Magnam laudem ibidem Archiabbas cellerario P.ri Aloisio Seibert attribuit, qui illis in consultationibus maxima merita sibi acquisivisset. Scitū vere digna hōc in conexū est Archiabbatis Norberti sententia, quā dixit rem difficillime tractatū fuisse, quia vix quisquam ex Conventū consuli potuit: «*Patribus erat omnibus parum notitiae huius rei; eis deerat scientia rerum singularum et maximā cautione adhibitā progrediendum erat.*»⁶⁶ Haec sententia revera aliquatenus mira est, imprimis cum cogitemus, quomodo res Tragoessiana ab initio transacta sit. Patres scilicet non potuissent notitiam habere, cum eis informationes amplae profundaeque non essent datae.

Quamquam Archiabbas Norbertus epistulis suis enthusiasmi vere plenis ad Abbatem Primatem missis nuntium successūs definitivum iterum iterumque

63 Notkerus Mannhart in epistolā suā die 28 m. Nov. a. 1928 ad Norbertum Weber datā (ASO, A.4.2) condiciones, quibus «Anima» «Culturali Societati» se adiungere vellet, «*solutionem mirabilem*» quidem appellavit, tamen dubitationes quaedam ei erant, quia iam illo temporis momento consultationes non iam progredi videbantur. Notkerus Mannhart praeterea deliberavit, quid faciendum esset, si spes ad «Animam» spectans futura esset «Fata Morgana», ut dixit. In epistolā suā die 12 m. Dec. a. 1928 ad Norbertum Weber directā (ASO, A.4.2) sententiam vere scepticam de hac re protulit, cum usque ad illud temporis momentum nondum ullus repraesentans illius societatis in praedio Tragoessiano fuisset. Insuper episcopum Gradeciensem non nimis positive de praeposito «Animae» locutum esse, quem noscere videbatur.

64 Sic Norbertus Weber ex. gr. erga Notkerum Mannhart (die 3 m. Dec. a. 1928 (ASO, A.4.2) sententiam protulerat consultationes cum «Anima» nondum ad finem definitivum pervenisse et sibi ipsi adhuc dubitationes esse, usque dum res esset revera transacta.

65 Cfr. epistula Norberti Weber die 6 m. Dec. a. 1928 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 578).

66 Epistula Norberti Weber die 6 m. Dec. a. 1928 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 578). - Textus originaliter Theodiscus.

distulit atque retradationes annuntiavit,⁶⁷ Abbas Primas propter Norberti Weber enuntiata successum annuntiantia iam in initio mensis Decembris a.



Via ambulatoria infra montem Pribitz.

1928ⁱ - duabus septimanis post Archiabbatis petitionem resignationis - Archiabbatiae Ottiliensis visitationem praecogitatam ad tempus cohibendam cura-

67 Saepius inveniuntur locutiones ut «*si res unā septimanā retardata est ...*» et «*omnia intra octo dies constituentur ...*». - Sententiae originaliter Theodiscae.

verat.⁶⁸ *Suspiciatio autem exoriri potest Abbatem Primate Fidelem von Stotzingen animō laxatō hōc fecisse, quod hac de re ei nihil amplius agendum erat.*⁶⁹ Episcopus Thomas Spreiter atque Abbas episcopus Bonifatius Sauer iam satis mature quidem monuerant, ne haec actio aboleretur atque distraheretur⁷⁰ neque sententiis postivis Archiabbatis nimis crederetur,⁷¹ sed illa monitio iterum frustra prolata erat.

Dum consultationes, quae cum societate «Anima» habebantur, protrahuntur, colloquia quōque cum barone Rudolfo von Leuzendorf propter reconciliationem contractūs instituta tantummodo lentissime tenaciterque progrediebantur.⁷² Quaestio autem, quae in «Culturali Societate» sive in Archiabbatiā

68 Hōc scripsit Norbertus Weber die 3 m. Dec. a. 1928 ad Notkerum Mannhart (ASO, A.4.2). - Breviter hanc rem commemorat etiam Hartmut MADL (1999), p. 246. Cyrill SCHÄFER (2005), p. 153, adn. 335 hōc in conexū putat cogitari posse Norbertum Weber «*visitationem differri consulto conatum esse*». - Sententia originaliter Theodisca.

69 Ut Thomas Spreiter in epistulā die 15 m. Febr. a. 1929 ad Fidelem von Stotzingen datā (ASA, APr 595) adnotavit, Abbas Primas in conexū visitationis ad tempus cohibitae dixerat «*P.ri Archiabbati atque P.ri Aloisio tempus ad omnia absolvenda concedendum esse, tunc denique agendum esse*». - Textus originaliter Theodiscus. - Agendi modus cunctans Abbatis Primatis hic denuo manifestatur. Cfr etiam Thomas Spreiter: Tagebuch, 14.2.1929 (ASO, A.1.8.1).

70 Cfr ex. gr. epistula Thomae Spreiter die 7 m. Dec. a. 1928 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASO, Z.3.01.4; ASA, APr 595); epistula Bonifatii Sauer die 10 m. Dec. ad Fidelem von Stotzingen data (ASO, Z.1.Asien; ASA, APr 585); epistula Thomae Spreiter die 15 m. Febr. a. 1929 ad Fidelem von Stotzingen missa (ASA, APr 595).

71 Thomas Spreiter in epistulā suā die 7 m. Dec. a. 1928 ad Fidelem von Stotzingen datā (ASO, Z.3.01.4; ASA, APr 595) monuit relationes Norberti Weber «*verisimiliter magis rosaceas esse quam realitatem*» et «*expectatione diuturniore solum curas afferri*». - Sententia originaliter Theodisca.

72 In archivo Ottiliensi documentum invenitur, cui superscriptio est «normae decretoriae consultationum» [«Verhandlungsrichtlinien»] (ASO, A.4.2). Ei dies quidem non est inscriptus, sed verisimiliter in initio consultationum exaratum est. Continentur autem nonnulla principia, quae omnibus in colloquiis cum Rudolfo von Leuzendorf vel eius repraesentantibus habendis respicerentur. Imprimis semper distincte dicendum erat Archiabbatem tantummodo ut repraesentantem «Culturalis Societatis» agere, eum ergo non Archiabbatiam Ottiliensem repraesentare. Porro consultationes semper fore non obligatorias. Quod attinebat ad argumenta, proferendum erat «Culturalem Societatem» rem emptam pecuniā iam datā recuperatā reddituram esse vel rem emptam retenturam esse, si

disputabatur, erat, qualis modus consulendi in consultationibus cum Rudolfo von Leuzendorf habendis exhiberetur et qualis effectus denique peteretur. Baronis vero dispositio reconciliationis ineundae interea - ut videbatur - aucta erat,⁷³ sed ut illa reconciliatio ad effectum adduci posset, ex parte «Culturalis Societatis» praeter alia de quaestione quōque dependebat, quanta pecunia praesto esset, ut postulata, quae ex possibili reconciliatione exorirentur, solvi possent.

Consiliarius saltuarius Iosephus Dimitz, ut consultationes atque reconciliationem definitivam praepararentur, praeterea nonnullas computationes exhibuit, quibus summam pecuniariam reliquam, quae baroni solvenda secundum eius opinionem denique fieri posset, tamquam scopum consultationum indicare conatus est.⁷⁴ Tales deliberationes tamquam fundamento colloquiorum, quae cum Rudolfo von Leuzendorf eiusque iurisconsultis instituebantur, fungerentur.

In computando ad summam 3.000.000 scellinorum pervēnit, quae unā cum duabus milionibus scellinorum, quae contractū inito iam solutae erant, atque baronis privilegiis usūs praedii amotis superaddi potuit.⁷⁵ Praeterea eventum

pretium emptionis tantopere minueretur, ut «Culturalis Societatis» existentia servaretur. Tali in casū ut modus pecuniae solvendae cogitabatur de pensione annuā viginti annorum, quā quotannis 75.000 scellinorum vel maximum 100.000 scellinorum solvenda essent. Haec summa pecuniaria denique 1.500.000 usque ad 2.000.000 scellinorum respondisset, id quod unā cum pecuniā iam datā pretium emptionis 3.500.000 vel 4.000.000 scellinorum fecisset. Hae sunt summae similes ac in initio ut congruentes computatae erant, cum animadverteretur pretium emptionis revera solvendum valori praedii non aequiperari.

73 Ut Iosephus Dimitz die 14 m. Dec. a. 1928 Notkero Mannhart (ASO, A.4.2) nuntiavit, indicium huius dispositionis erat in eo, quod Rudolfus von Leuzendorf illum processum iuridicum, quem ipse initiaverat, ad tempus procrastinandum curaverat.

74 Hac in re pecunia, quam ex nogotio cum «Anima» exspectabatur, adhuc respiciebatur.

75 Cfr explicationes in epistolā Iosephi Dimitz die 18 m. Ian. 1929 ad Notkerum Mannhart directā prolata (ASO, A.4.2).

Scitū dignum praeterea est documentum internum, non ergo ad notitiam Rudolphi von Leuzendorf destinatum, quod Iosephus Dimitz verisimiliter medio mense Ianuario a. 1929 exaraverat (ASO, A.4.2). [Exactus terminus temporis in documento non indicatur, tamen non diu ante ipsam reconciliationem scriptum est.] Illā relatione Iosephus Dimitz deliberationes protulit, quo modo atque quā summā superadditamentum pecuniarium baroni dandum persolvi posset. Fundamentum computandi ei praebebatur possibilitate

fortasse futurum alicuius processūs in deliberationes suas includere conatus est.⁷⁶

P. Notkerus Mannhart generaliter quidem cum computationibus Iosephi Dimitz consentiebat,⁷⁷ tamen existimavit - quam opinionem iterum iterumque in commercio epistulari protulit - in consulationibus pretium emptionis minuere omni modo conandum esse.⁷⁸ Fieri enim posse, ut baro certis argumentis

lucri, quod ex ligno caedendo proximis viginti annis caperetur. Cogitavit autem Leuzendorffio pensionem annuam proximis viginti annis solvendam offerri posse, cum talis summa pecuniaria ex proventū praedii solvenda condicionibus pecuniariis «Culturalis Societatis» aequireretur et itaque facilius sustentari posset quam magna summa integra. Proposuit autem pensionem annuam maxime 120.000 scellinorum, hoc significat unā cum pecuniā iam datā denique summam 4.400.000 scellinorum fuisse solvendam. Argumentum, quod in favorem propositi sui protulit, erat hōc: «*Erga Leuzendorffium facilius perpetrandum est, cum praedii valorem esse 4.400.000 scellinorum conceditur sub reservatione, quā summa reliqua 2.400.000 scellinorum per viginti partes annuas 120.000 scellinorum solvantur, quam cum statim solvendo tantummodo valor 3.000.000 scellinorum agnosci potest.*» - Textus originaliter Theodiscus.

Tamen hōc propositō mihi videtur non satis respici praecogitatas partes pecuniae baroni solvendas non fuisse unicum onus pecuniarium «Culturalis Societatis» atque eandem usque tunc ne usuras quidem solvendas erogare valuisse.

- 76 Iosephus Dimitz existimavit casū inopportunistimo emptionis pretium 4.500.000 scellinorum a tribunali constitutum exspectandum esse, quā in re privilegia usūs remanerent. Itaque reconciliationem inire melius esse ei videbatur.
- 77 Nihilominus cogitationes Iosephi Dimitz ei displicuerunt, quibus ille putavit reconciliatione cum barone ineundā fortasse quaedam sacrificia pecuniaria praetereuntia vel diuturna ab Archiabbatiā postulari, cum «Culturalis Societas» proximis temporibus promoveri non posset, nisi Archiabbatia auxilium pecuniarium ferret. P. Notkerus imprimis offendebat in locutione consiliarii saltuarii, quā scripsit Archiabbatiam Ottiliensem talem pecuniam erogandam debere «*suscipere ut sanationem nimiae fiduciae a P.re Ludgero exhibitae*». - Sententia originaliter Theodisca. - Cfr epistula Notkeri Mannhart die 13 m. Ian. 1929 ad Norbertum Weber directa (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 15 m. Ian. a.1929 ad Iosephum Dimitz data (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 19 m. Ian. a.1929 ad Rupertum Klingseis missa (ASO, A.4.2).
- 78 Cfr epistula Notkeri Mannhart die 13 m. Ian. a. 1929 ad Norbertum Weber data (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 16 m. Ian. a. 1929 ad Rupertum Klingseis missa (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 26 m. Ian. a. 1929 ad Iosephum Dimitz directa (ASO, A.4.2).

prolatis ita premeretur, ut verisimiliter ad alia quōque concedenda paratus esset.

Sed aliud quōque problema exstitit, quo Ottilianis consultationes aliquatenus difficiliore reddita sunt. Nam in Archiabbatiā multi ad processum iuridicum contra Rudolfum von Leuzendorf instituendum non iam ita parati erant, quia sensūs hac in re negativos eis paulatim erant. Non solum senioratus, sed etiam ipse cellerarius P. Aloisius Seibert eventum prosperum alicuius processūs «Culturali Societati» fore non iam credidit.⁷⁹ P. Notkerus Mannhart hac in quaestione tamen aliam sententiam habuit. Nam quamquam scivit de eventū processūs, qui fortasse institueretur, in antecessum diiudicationem certam fieri non posse, nihilominus processus sine ullā spe esse ei non videbatur, sed e contrario possibilitates prosperi eventūs relative bonas fore putavit.⁸⁰ Processum vitare ei videbatur quidem optabile, sed non sub omnibus condicionibus. Praeterea non timuit, ut processū quodam iuridico scandalum exoriretur, quo Archiabbatia Ottiliensis nimis laederetur.⁸¹ Minae vero scandali, quod casū alicuius processūs fieret, secundum opinionem Pr.is Notkeri magnā ex parte erant baronis instrumentum, quo Ottilianos suppressere voluit. Verisimiliter P. Notkerus hac suā sententiā recte dixit.

Talibus autem dubitationibus de processū iuridico instituendo Ottiliani ipsi statum suum in consultationibus reconciliationis revera peiorem reddiderunt.

79 Cfr ex. gr. epistula Aloisii Seibert die 15 m. Nov. a. 1928 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 16 m. Ian. a. 1929 ad Rupertum Klingseis directa (ASO, A.4.2). - Thomas Spreiter die 7 m. Dec. a. 1928 erga Fidelem von Stotzingen (ASO, Z.3.01.4; ASA, APr 595) opinionem protulit «*conventionem sustentabilem meliorem esse quam onus eximium processūs diuturni*». - Sententia originaliter Theodisca.

80 Cfr ex. gr. epistula Notkeri Mannhart die 28 m. Nov. a. 1928 ad Norbertum Weber directa (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 12 m. Nov. a. 1928 ad Norbertum Weber missa (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 19 m. Ian. a. 1929 ad Rupertum Klingseis data (ASO, A.4.2).

81 Cfr epistula Notkeri Mannhart die 12 m. Dec. a. 1928 ad Norbertum Weber missa (ASO, A.4.2). - Thomas Spreiter tamen sequelas morales ab Archiabbatia sustinendas timuit, si processus iuridicus fieret, cum tali condicione verisimiliter nemo iam eleemosynas missionarias dare vellet (epistula die 11 m. Nov. a. 1928 ad Fidelem von Stotzingen missa (ASO, Z.3.01.4; ASA, APr 595)).

Cum enim significarent se processum incohare non audere, instrumentum in favorem proprium agendi consulto deposuerunt atque possibilitates suas, quibus reconciliationem sibi prosperam efficerent, minuerunt. Nam etiam Rudolfus von Leuzendorf processū iuridico - quomodocumque idem eveniret - multa amittere potuit.

Interea vero apparuit praedium silvestre «Animae» venditum non iri. Magna spes imposita erat in pecuniam inde exspectatam, quia Ottiliani eādem sump-
tūs ex reconciliatione exoriundos atque etiam nonnulla alia expensa in prae-
senti urgentia solvere voluerant. Videndum ergo erat, unde tunc pecunia
acquireretur. Tamen non solum pro sumptibus reconciliationis necessarium
erat, ut magna summa pecuniaria in promptu haberetur. Nam praesertim
pecunia credita a Monacensi argentaria, quae appellatur «Commerzbank», ad
praedium silvestre emendum accepta unā cum magnis usuris inde postulatis
quam celerrime reddenda erat,⁸² ne «Culturalis Societas» atque Archiabbatia
in abyssum traherentur. Itaque exempli gratiā P. Notkerus Mannhart atque
episcopus Thomas Spreiter urgebant omnino necessarium esse, ut «pecunia
vilior», id est minoribus usuris, afferretur.⁸³

82 Interdum de duodecim centesimis usurarum vel pluribus sermo est. Thomas Spreiter die 5 m. Febr. a. 1929 ad Bonifatium Sauer (ASO, Z.3.01.19) scripsit P. rem Aloisium Seibert ipsi dixisse exactam usurarum rationem sibi quōque non esse notam. Si hoc verum erat - et nisi P. Aloisius Seibert episcopo veritatem crudelem tantummodo confiteri noluit -, haec condicio omnino non est intellegibilis atque negelgentia indicibilis cellerario non conveniens.

83 Cfr epistula Notkeri Mannhart die 16 m. Ian. a. 1929 ad Rupertum Klingseis directa (ASO, A.4.2); epistula Thomae Spreiter die 7 m. Dec. a. 1928 ad Fidelem von Stotzingen missa (ASO, Z.3.01.4; ASA, APr, 595). Hōc locō episcopus etiam computavit, qualis condicio futura pecuniae creditae ex argentaria Monacensi assumptae esset, cum scriberet haec: «*Culturalis autem Societas nullas alias divitias habet ac illa 400.000 dollariorum sibi solum mutuum data. Ex hac pecuniā erogabantur omnia praeter summam fere 130-150.000 marcarum. Eādem ne usurae quidem decem centesimarum* pro pecuniā supra memoratā solvi possunt. Etiam non solventur et eā de causā debita iam creverunt usque ad 440.000 dollariorum. Ut praevideri potest, usurae etiam anno 1929° solvi non poterunt, tunc ex 440.000 dollariorum iam facta sunt 484.000 sive 1.833.800 marcae, pro quibus decem centesimae debentur. Hae usurae 523.000 marcarum tunc certe etiam solvi non poterunt, quo modo summa iam in 2.234.000 marcarum creverit et sic in infinitum.*»

*) Simpliciter causā episcopus tantum decem centesimis usurarum computavit.

[VOX LATINA 221, 2020, pp. 367-389]

Paulo post episcopus Thomas similem rationem pecuniariam exhibuit, quā monstravit quanti usurae cottidie, unāquāque horā atque unāquāque minutā constarent (*cfr* epistula Thomae Spreiter die 15 m. Febr. a. 1929 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 595)), insuper adiungens haec: «*De his numeris horribilibus cogitare mihi omnino non licet, quia inde pessime me habuero. Et tamen nihil aliud prodest ac frigidissime ratiocinari.*»

Paene ad verbum Thomas Spreiter illam ratiocinationem etiam Abbati episcopo Bonifatio Sauer atque Abbati Placido Vogel ante oculos posuit. - *Cfr* epistulae Thomae Spreiter die 15 m. Febr. a. 1929 ad Bonifatium Sauer data (ASO, Z.3.01.19) et die 5 m. Mart. a. 1929 ad Placidum Vogel missa (ASO, Z.3.01.11).